

05

10 1/2

U. q. 19, 3

6  
DECAS  
C O N T R O .

VERSIARUM,

EX TIT. INST. DE OBLIG.

& quib. mod. re contr. oblig.

depromptarum,

QUAM

D. O. M. A.

PERMISSU

NOBILISSIMÆ AC AMPLISSIMÆ

FAC. JURID. IN ALMA SALANA,

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS SCHRÖTERI, O-

STERBURGO-MARCHICI,

*defendere conabitur*

JOHANNES HIERONYMUS

*Im Hoff Norimbergensis,*

*ad diem XVI. April. horis & loco consuetis,*

J E N Æ

Typis describebat Johannes VVeidnerus,

A. O. R. M. DC. XIV.



*Viris Nobilissimis, Amplissimis,  
ac Prudentissimis,*

**DN. NICOLAO HIE-  
RONYMO BAUMGARTNERO,**  
à Baumgarten in Lonnerstad / inclytæ  
Reipublicæ Norimbergensium Se-  
natori dignissimo,

E T

**DN. JOHANNI IM HOSS / PA-  
TRICIO NORICO,**

*Dnn. AVUNCULO, ac PARENTI  
summâ observantiâ colendis*

Hasce sui primitias dedicat ac  
consecrat

*Johannes Hieronymus Im Hoff/  
Respondens.*



QUÆSTIO I.

An obligatio naturalis verè dicatur  
obligatio ?

**O**BLIGATIO alia est merè civilis, §. prater ea  
3. de except. l. 3. §. 1. de constit. pec. qua qui-  
dem actionem civilem parit, sed talem, qua  
exceptione statim potest elidi, d. §. prater ea,  
ita ut effectus ejus sit valde exiguus, l. 112.  
de R. J. Alia est merè naturalis, qua ex sola  
equitate descendit, l. 95. §. 4. de solut. qua actionem non  
producit, l. 10. de O & A. l. 16. §. 4. de fidejuss. Ex hisce dua-  
bus concurrentibus tertia efficitur species, qua vulgò vocatur  
obligatio mixta, vel justa, & κατ' ἐξοχήν simpliciter obli-  
gatio, qua plenum habet effectum, adeoque actionem produ-  
cit, l. 11. l. 13. §. 19. de contr. empt. Don. lib. 12. com. c. 1. &  
seqq. Dissentit Giph. ad l. 14. de O. & A. n. 28. pag. 573. Ex  
harum obligationum numero quidam excludunt obligationē  
naturalem, qui dicunt, eam abusive nominari obligationē,  
Duar. in tit. de O. & A. c. 1. & Don. d. l. vel planè non esse  
obligationem dicendam, Hortens. ad l. frater à fratre 38. de  
condiction. indebit. utrum rectè id fiat, opera precium fuerit  
considerare. Et quidem si substantiam ipsam, non autem  
qualitates obligationis consideraverimus, apparebit luce meri-  
diana clarius, naturalem hanc absque suo merito ex obligati-  
onum territorio relegari. I. Primum enim certum est, quod  
nomina rerum in jure consideratarum sint ut plurimum rebus  
consequentia, §. est & aliud 3. I. de donat. l. 5. C. de defensor.  
civ. & contrà, cui nomen adimitur, eidem etiam res ipsa  
& nominis effectus adimatur, l. 4. C. de fer. Quotusquisq;  
A 2 . autem

a. est, qui non videat, naturalem obligationem etiam nomine obligationis insigniri? l. 10. de O. & A. l. 16. § 4. de fidejuss. & infinitis alijs. Sequitur igitur, quod verè sit obligatio, aut quod nomen habeat sine re, quod absurdum est & evertitur, dd. ll. II. Verè obligationis substantia consistit in eo, ut nobis obstringat aliquem, l. 3. pr. de O. & A. id quod de naturali obligatione asserere, neutiquam à juris ratione alienū. Facit enim debitorem, l. 9. § 3. de pecul. junctā l. 14. de O. & A. l. 25. § 1. quando dies leg. Et licet civili necessitate non obstringat ad solutionem, d. l. 16. § 4. de fidejuss. obligat tamen aequitate & necessitate naturali, l. 1. de pact. l. 1. de const. pec. & juris gentium, l. 84. in f. de R. J. Clarissimus Vir Dn. D. Arum. Præcept. plurimū colendus Exercit. 12. tb. 3. Hinc ex naturali hac obligatione datur compensatio, l. 6. de compens. quæ est DEBITI & CREDITI inter se contributio, l. 1. eod. & pro solutione habetur, l. 4. qui pot. in pignor. Item soluti retentio, l. 13. de condict. ind. III. Accedit huc, quod fidejussoria obligatio per se non subsistat; nisi principalis adsit, l. 1. de fidejuss. l. 3. de rescind. vendit. potest tamen ad naturalem accedere, dict. l. 13. de condict. indeb. l. 127. de V. O. & d. l. 16. § 3. de fidejuss. Sit igitur vera obligatio oportet, cum aliàs accessorium sine principali subsistere non posset, l. 178. de R. J. IV. Denique quid est, quod vocetur vinculum, quod dicatur dissolvi pecunia numeratione, justo pacto vel jurejurando, si reverà non fuit obligatio? l. 95. § 4. de solut. Atque hac sufficiant de præsentī questione, in qua consentientem habemus Joach. Hopperum lib. 1. περὶ ἀναγών ad tit. I. de Oblig. p. 3. & Vult, ad pr.

I. d. t. n. 21.

QUÆ

## QUÆSTIO II.

### An creditis nummis aureis argentei resti- tui possint?

*Mutuum damus, inquit Paulus, recepturi non eandem speciem, quam dedimus, sed idem genus, l. 2. pr. de reb. cred. Non igitur de lana anserina fuerit, questionis propositæ veritatem indagare & fundamenta pro affirmativa (quam legib. consentaneam esse non dubitamus) in medium proferre. I. Primum igitur tale est: In mutuo id agi intelligitur, ut ejusdem generis, & eadem bonitate solvatur, qua datum est, l. 3. de reb. cred. Atqui si nummi argentei pro aureis restituuntur, hæc duo observantur. E. secundum legem solvuntur. Minorem stabilimus: In pecunia non tam corpus, quam quantitas seu potestas consideratur, l. 46. de condiçt. indeb. l. 19. §. 2. eod. l. 34. §. 3. de leg. 1. l. 95. de leg. 3. l. 68. ad S. Ct. Trebel. l. 10. de acceptil. l. 24. Depos. l. 65. §. 1. de solut. Hotom. 8. obs. c. 4. Niel. disput. feud. 11. th. 5. liter. a. Quare mutuò data etiam censetur ipsa æstimatio, non autem materia: quæ si reddatur, rem ejusdem generis reddi certum est: Ex quo alterum etiam consequitur, quod simul etiam reddatur eadem bonitate, cum hæc non consistat nisi in æstimatione, l. 1. pr. de contrah. empt. arg. l. 1. §. ultim. de jur. dot. II. Deinde idem constat ex l. 65. §. 1. de Verb. O. ubi is, qui stipulanti denarios, ejusdem quantitatis aureos spondit, obligatur, id quod nullo modo fieri posset, si materie potior esset consideratio, quam ipsius potestatis, hæc enim, non illa in interrogatione & responsione fuit eadem, l. 83. §. 1. & 2. l. 137. §. 1. de V. O. §. præterea 5. I. de inu. stip. III. Lippis & tonforibus notum est, quod ea sit exceptionis natura,*

ut quando casus certos eximit, in ceteris non exceptis regula confirmare tenere censeatur, l. 12. §. 43. vers. denique de instr. & inst. leg. l. 12. pr. de jud. Atqui in l. 99. de sol. ponitur exceptio, quod tum demum hac solutio non habeat locum, quando creditor (ita enim legendum putamus cum Cujac. in l. 59. de V. O.) ex ea re damnum aliquod passurus sit. Neque verò nos hac assertione Glauci & Diomedis permutationem introducere nitimur, de qua est in §. ult. constit. de jur. doc. rat. & apud Hom. Iliad. 6. Cui exceptioni & altera illa addi potest: Nisi expresse ita convenerit inter contrahentes, ut nummi ejusdem materiae restituerentur: tum enim conventionem contractui legem dare certi sumus, l. 23. de R. J. l. 1. §. 6. dep. l. 27. §. 3. de pact. l. 52. de V. O. l. 72. de contr. èpt. E. si creditor damnum nullum passurus sit, nec quicquam convenerit, regule standum, & affirmativa nostra inhaerendum esse censemus. IV. Pro nostra sententia facit l. 35. pr. de aur. & arg. leg. ubi pro auro potest prestari aestimatio: qua cum consentit l. un. C. de argent. prec. quod thesaur. infert. Vid. Don. ad l. 3. de reb. cred. n. 10. Niel. d. l. Cujac. in Nov. 4. & in l. 59. in f. de V. O. Hotom. illustr. quest. 15. Bocer. class. 1. disp. 7. n. 46. Trentl. vol. 1. disp. 20. th. 12. lit. a. Hænon. disp. 13. th. 4. Diss. aliquo modo Henning. Wegner. disp. 10. th. 4. lit. c.

### QUÆSTIO III.

An pupillus sine tutoris auctoritate mutuare vel mutuati possit?

Quod ad prius membrum propositæ questionis attinet, pupillum mutuare non posse ob sequentes rationes statuimus. I. Mutuum esse contractum verum cuius veritatis studioso obviam est, l. 1. §. 1. de O. & A. §. jus autem gentium Inst. de J. N. G. & C. in quo ex utraque contrahentium parte requiritur consensus, l. 1. §. 3. in f. de pact. cujus pupillus in ea ætate non est capax, l. 189. de R. J. imò quid videat, ignorat, l. 1. C. de fals.



fals. monet. Et nihil scit, l. 9. de acquir. hered. II. In mutuo  
requiritur dominij translatio, l. 2. §. 2. de reb. credit. Quae  
pupillo in multis text. jur. denegatur, l. 9. §. 2. de auth. tutor.  
l. 14. in f. Et l. 15. de solut. l. 3. C. de in int. rest. l. 5. §. 5. de reb.  
eor. qui sub tut. §. fin. I. quib. al. lic. vel non. III. Probat  
hoc per expressos textus, l. 3. §. 2. vers. in pupillo de SC. Ma-  
ced. l. 19. §. 1. de reb. cred. Quibus tamen hoc addimus, quod  
si pupillus de facto dederit mutuam pecuniam, eaque consumpta  
sit, mutuum quasi convalescat, Et consumptione rei reconci-  
lietur, d. l. 19. §. 1. ut Et in aliis casibus hoc accidit, l. 11. §. f.  
l. 12. l. 13. de reb. credit. l. 56. §. 2. de fidejuss. quemadmodum  
si absque tutoris auctoritate solverit, nummis consumptis li-  
beratur, l. 14. in f. de solut. l. 9. §. 2. de auth. tut. Secus enim  
si fieret, in odium ejus vergeret, quod in favorem erat intro-  
ductum, contra l. 5. §. 1. in f. C. de secund. nupt. l. 1. princ. si  
ventr. nom. Diss. Giph. ad l. 4. C. si cert. pet. per tres rationes.  
NUNC alterum questionis membrum brevibus perlustrabim⁹:  
Et certum est, quod pupillus ipso jure mutuari non possit, tum  
propter rationem supra primo loco positam: tum etiam quod  
omnis obligatio est quaedam alienatio, l. 28. de neg. gest. l. 28.  
solut. matr. quae pupillo sine tutoris auctoritate est adempta,  
ut patet ex supra dd. ll. Sed posset quis querere: Quid si de  
facto mutuato fuerit ab aliquo pecuniam, is qui pubertati est  
proximus? Nos omnino defendi posse statuimus eorum sen-  
tentiam, qui statuunt pupillum hunc naturaliter semper Et  
indistincte obligari, civiliter Et naturaliter ex D. Pij rescri-  
pto tum demum, si locupletior factus fuerit, Don. in l. 127. de  
V. O. Clarissimus Vir, Dn. D. Arum. in tr. de mora c. 6. num.  
8. Et seqq. disp. ff. 15. th. 10. Et Exercit. 3. th. 13. Heig. ad §. 9.  
n. 8. de inutil. stip. Harprecht. in pr. tit. I. de auth. tut. n. 27.  
Nec admittimus exceptionem Bl. ad t. I. de auth. tut. Et Bo-  
lognin. in rubr. si cert. pet. n. 23. qui illud quidem procedere

conten-

contendant in alijs contractibus, non autem in mutuo. Pro-  
bamus igitur banc sententiam textibus partim de mutui cō-  
tractu, partim etiam de alijs loquentibus. I. Suppeditatur  
nobis à Papiniano in l. 95. §. 2. de solut. ubi ex causa mutui  
non in tantum, in quantum locupletior factus est pupillus,  
sed in solidum fieri potest retentio, qua ibi est pro solutione.  
Oportet igitur, ut in solidum etiam pro ea parte, pro qua nō  
erat locupletior factus, fuerit obligatus, ne effectus suam  
causam superet. II. Secundum nostræ assertionis fundamē-  
tum desumimus ex l. 25. §. 1. quando dies leg. ubi itidem  
agitur de pecunia credita, atque naturalis & civilis obligatio  
adhibita pupilli locupletati vel non locupletati distinctione,  
apertè distinguuntur, ut illa in hoc casu oriatur, hæc verò  
in illo. Nec est, quod quis cum Mercerio in Conciliatore,  
pag. 30. & alijs ad textus correctionem sese recipiat, nega-  
tivam enim lectionem textui esse convenientissimam, ipsa  
verba innuunt. III. Tertio affero l. 3. §. 4. de negot. gest.  
ubi pupillus conveniri potest, si locupletior factus est, l. 3.  
pr. commod. ubi utilis datur commodati actio, l. 5. pr. de  
auth. tut. ubi cuius in pupillum datur actio, idem dicitur  
in l. 1. in f. pr. d. t. l. 1. §. 15. Dep. ubi datur actio, et si do-  
lus non intervenerit, l. 10. de inst. act. At unde actio? ex  
naturali obligatione nulla datur, ut patet ex q. 1. E. ex civili.  
IV. Facit pro hac sententia l. 21. ad l. Falc. l. 64 ad SC. Treb.  
l. 127. de V. O. in quibus non additur, utrū locupletior factus  
sit, & tamen indistincte naturaliter obligatus dicitur. V.  
Certi juris est, errorem facti nemini nocere, l. 8. l. 9. pr. de  
ignor. jur. & fact. l. 29. §. 1. mand. Qui error etiam hic  
facilimo negotio intervenire poterit, l. 2. §. 15. pro empt.  
Conditiones enim hominum ex fronte non innotescunt, l. 5.  
de cont. empt. & aspectus sæpè fallit judiciū prudentis, arg.  
l. 32. de minor. Qua ergo esset iniquitas, si creditor hac ra-  
tione spo-

tionē spoliaretur sua pecunia, & medio repetitionis destitueretur contra l. 7. test. quemad. aper. l. 15. mand. l. 45. §. fin. de neg. gest. Diss. Cuj. in d. l. 127. de V. O. & libr. 17. obs. c. 4. Pac. cent. 4. quest. 10. El. Rober. disp. 5. thes. 3. Giph. ad pr. I. de auth. tut. Förster. disp. 4. th. 10. & in tr. de pact. c. 5. pag. 96. Hoen. disp. 3. th. 9. & varij variè.

#### QUÆSTIO IV.

An filius familias beneficio SCti Macedoniani

sub iuramento renunciare possit?

Tritum est illud, & in ore omnium versatur: Ex malis moribus bonæ leges natae sunt, id quod exemplo Carfaniae improbiſſimæ fœmina, l. 1. §. 5. de postul. Dionysia, l. 18. C. de procur. & Afrania, l. 21. C. eod. in primis autem Macedonis, hominis ad quævis scelera natura ipsa edocti, l. 1. ad SC. Maced. clarum evadit. Nam cum fœenerator hic pessimus, dulcissimis suis illecebris incautos irretiret juvenes, & pecuniam eis credendo ad delicias Alexandrinas invitaret, adeoque perditio hoc beneficij fuco in casses extremae sortis deduceret: Senatus commotus fuit huic malo saluberrimo quodam remedio obviam ire, atque in odium omnium fœeneratorum legem ferre, ne quis postea filiosam. mutuam pecuniam daret, aut si daret, nulla actio & petitio eis concederetur, d. l. 1. l. 40. pr. de condict. indeb. Melius n. videbatur, juveniles calores coarctare, ne cupidini dediti tristem exitum sentirent, qui eos expectabat post diversum patrominium, l. 8. §. 4. C. de bon. quæ lib. nec opus foret, post vulneratam causam remedium querere, l. ult. C. in quib. caus. in integ. rest. non est necess. l. 1. C. quando lic. un. sine jud. Qua in re nõ tantũ ipsis filiisfam. sed & parentibus l. 14 §. 1. de serv. corrupt. §. illud propriè I. quod cum eo, qui in al. pot. l. 3. §. 3. l. 9 §. 3. ad SC. Mac. heredi, l. 7. §. 10. d. t. deniq. ipsi etiam Reip. prospectum & optimè consultum est, arg. l. 1. d. t. l. 1. de J. & J. & N. 8. c. 8. ibi & ita presidentes. Ex qui-

B

bus nunc

bus nunc facilis erit ad quaestionem propositam responsio, id  
scilicet nullo modo fieri posse cum effectu obligationis. Nam  
si renunciatio hac simpliciter & absque juramento interuentu  
facta fuerit, nullo negotio id probari potest ex l. 3. §. pen.  
l. 11. de SC. Maced. l. 23. C. de pact. l. 38. & l. 42. ff. eod.  
Dn. Arum. disp. ff. 12. tb. 6. Treutl. vol. 1. dispu. 20. tb.  
7. lit. d. Major controversia est, si sub juramento renuncia-  
verit filiusfam. an tunc efficaciter teneatur? Negativa ad-  
huc verior est. I. Per l. ult. C. de non num. pecun. II. Dein-  
de nisi hoc dixerimus, fraudi foeneratorum non omnes aditus  
erunt interclusi, futurumq; est, ut blandis verbis juramentū  
illud eliciant, arg. l. is inf. de quest. atque ita doli sui com-  
modum sentiant, quod incurrit in l. 134. §. 1. de R. J. l. 12.  
de dolo mal. l. 63. §. 7. pro soc. & de improbitate sua conse-  
quantur actionem, contra l. 12. §. 1. de furt. III. Negari nō  
potest, quod hoc mutuum, utpote contra leges factū, sit ipso  
jure nullum, l. 5. C. de LL. c. vides dist. 10. Quid igitur ju-  
rumentum sine basi? l. 129. l. 178. de R. J. c. accessorium de  
R. J. in 6. IV. Quo unice etiā collineant l. 7. §. 16. de pact. l.  
112. §. fin. de leg. 1. l. 4. §. 1. de in lit. jur. l. 56. pr. de fi-  
dejuss. l. 5. §. 3. de jurejur. c. non est obligatorium de R. J.  
in 6. V. Verum est, quod jusjurandum alteri nec nocere, nec  
prodesse debeat, l. 3. §. 3. de jurejur. l. 1. pr. si mul. vent.  
nom. Atq; hoc noceret patri, heredi & ipsi patriæ, ut ex su-  
perioribus constat. Vanum ergo & nullius est momenti. VI.  
Juramentum non est propterea institutum, ut sit vinculum  
iniquitatis, c. inter cetera 22. q. 4. qui tamē iniquitatis sur-  
culus ex hoc juramento pullularet, contra propositum SC. Ma-  
cedoniani, quod hac ratione fieret elusorium, l. 37. §. 6. in f. de  
legat. 3. aut sequeretur, quod lex una manu subtractum, al-  
tera vicissim porrigeret: ἀποπov, c. cū quid una de Regul. J.  
in 6. Vid. Bron. cen. 1. misc. aff. 62. Fach. lib. 2. cont. c. 61.  
Treut. d. l. Coler par. 2. disp. 1. tb. 12. lit. c. & problem.  
4. in primis Dn. Arum. Exercit. 12. tb. 7. lit. c.

## QUÆSTIO V.

An indebitum per errorem solutum repeti possit?

*Distinctione res expediri potest: Aut n. solvit indebitum per errorem juris, & nulla datur repetitio, l. 10. C. de jur. & fact. ignor. l. 9. C. ad l. Falcid. l. pen. §. 3. de jur. & fact. ignor. Apertè n. constitutum est, juris ignorantiam cuique nocere, d. l. pen. pr. l. 29. §. 1. mand. l. 2. §. 15. pro empt. Vid. Pac. cent. 4. évov. q. 5. Dn. Arum. exerc. 15. tb. 15. Bronch. cent. 2. ass. 36. El. Rober. disp. 14. tb. 5. Aut indebitum solutum est errore facti, & datur condictio, d. l. 10. C. de jur. & fact. ignor. l. 1. 47. 54. de condict. indeb. Nemo n. debet cum alterius incommodo locupletari. l. 4. d. t. Hinc error facti prodesse dicitur in l. 4. de jur. & fact. ignor. neminiq. nocere, l. 7. C. d. t. Giph. ad d. l. 10. C. de jur. & fact. igno. Ratio differentia hujus inter utrâq. ignorantiam constituta traditur à Dn. Arum. d. l. ex l. 2. de jur. & fact. ignor. Intelligimus a. indebitum id, quod neque civiliter, neque naturaliter debetur: Nam quod Vas. 3. contr. usu freq. c. 63. n. 5. & n. 33. cum quibusdam alijs dicit, naturale debitum, quod civiliter est indebitum, errore facti solutum per conductionem repeti posse, veritati juris repugnare nullatenus dubitamus. I. Primum n. in tractatu de conductione indebiti agitur de eo, quod omninò non debetur, l. 26. §. 3. de condict. indeb. Atqui quod naturaliter debetur, non est indebitum, sed debitum, uti constat ex quest. 1. E. ad illud trahi non potest. II. Deinde quia sunt textus, qui dicunt, tum dari repetitionem, quando pecunia jure gentium, h. e. natura indebita est soluta, l. 47. d. t. cessare, quando naturaliter debetur, l. 13. d. t. Quibus adde l. 64. & l. 65. §. fin. eod. III. Condictio hæc ex æquo & bono est introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, revocare consuevit, l. 66. de condict. indeb. At naturaliter debitum solutum non est apud me sine causa, sed ex naturali*

obligatiōe, l. 84. in f. de R. I. officij igitur sui fines trāsiliret cō-  
dictio, si huc quoq; tenderet. IV. Postremò cōdictio indebiti de-  
pendet ex equitate naturali, l. 14. & l. 15. de cōdict. indeb. Ni-  
hil autem magis convenit equitati & fidei humane, quàm fidē  
servare & liberare, l. 1. de pact. l. 1. pr. de pec. cōst. l. 20. C. de trās.  
Dabiturnē igitur ei legis auxilium, qui contra legem peccat?  
Vid. l. 37. in f. de min. & l. ult. §. 12. C. de Ju. delib. Nos transibi-  
mus ad alia. **QUÆSTIO VI.**

An compensatio locum habeat in commodato?

Antequam q. ipsam decidamus, videbimus, in quibus reb.  
compensatio locū habere queat, quo cognito facilius erit pro-  
gressus. Dicimus igitur cum Don. ad §. 30. I. de act. n. 13. & Don.  
Arum. disp. 12. th. 3. & disp. ff. 12. th. 2. Eā non consistere in spe-  
ciebus, sed in quantitatibus, quæ inter se mutuam functionem  
recipiunt, l. 18. pr. de pign. act. l. 26. §. 4. de cond. inde. idq; pro-  
bat Don. tribus rationibus, quarum una desumitur à natura  
solutionis, quæ est ut creditori invito aliud pro alio solvi non  
posset, l. 2. §. 1. de reb. cred. Compensatio a. non valet nisi in vim  
solutionis, l. 4. C. de compens. Altera est, quod si species cū qua-  
ritate cōpensaretur, constitueretur emptio, arg. l. 5. §. 1. de præ-  
sc. verb. & quidem cum invito, quod esset contra l. 15. C. de Ju.  
delib. l. 11. C. de cont. emp. Tertiam desumit ab etymologia ver-  
bi compensationis, quæ non nisi pecunia creditæ & quantitatē  
competere potest, qua de re ibidem latius videre est. Quib. ad-  
dimus illud, quod ex l. 4. qui pot. in pig. desumi potest, Ibi n. di-  
citur, quod debitor rem creditori vendiderit, & precium rei vē-  
didæ cum pecunia debita pensaverit. Cur opus fuisset precium  
potius compensari, si species potuisset? consentit nobiscū Giph.  
in l. ul. C. de compens. Fach. 1. cont. c. 6. cōt. Duar. in l. 7. §. ob do-  
nationes ff. de compens. & in t. de compens. c. 2. Harp. in d. §. 30.  
I. de act. n. 9. & seqq. rationibus spaciosis dissentientes, quorū sen-  
tentia tamen in effectu cum nostra coincidunt, dum compen-  
sationem quantitatum ipso jure fieri contendunt, compensa-  
tionem

tionem a. speciei cū quantitate iudicis interventum requirere.  
Nam per iudicē fit, ut res aestimetur, atq; hac aestimatione spe-  
cies q̄s. redigatur in quantitatem, & sic rursus cōpensatio tan-  
tum sit in quantitate. NUNC ad q. distinctionis medio muniti  
nos convertimus, atq; intrepidē dicim⁹, si res cōmodata salva  
adhuc petitur, quod tum compensatio nullo modo opponi pos-  
sit. I. Quia, ut suprā dictum, species cum specie nō cōpensatur:  
Atqui in commodato debet reddi eadem species, l. 2. pr. de reb.  
cred. §. itē is cui, ibi: & ob id, l. quib. mod. re con. obl. Hinc quod  
usu ipso consumitur commodari nequit, l. 3. in f. comm. II. De-  
inde compensatio est debiti & crediti inter se contributio, l. 1.  
de compens. Atq; compensatio opponitur ei, qui rem sibi debitā  
petit. Atqui res commodata manet commodātis, quo ad posses-  
sionem & proprietatē, l. 8. & l. 9. comm. cū igitur sit ipsius pro-  
pria, deberi ei nō potest, l. 34. pr. de aur. & arg. leg. & per cōseq.  
nec compensari. III. si à correctione textuum abstinere verita-  
tis amore velimus, immotum fundamentum habebimus in l.  
ult. C. de commod. ubi Imp. Diocl. & Max. ita loquuntur: Præ-  
textui debiti restitutio commodati nō probabiliter recusatur,  
ubi licet Cuj. ad 2. sent. Paul. 12. & lib. 9. obs. 37. & Bor. de usur.  
c. 3. n. 17. pro, commodati, restituant commendati: optimè ta-  
men rejicitur id à Forner. 2. sel. c. 14. Hot. 1. amic. 21. Don. ad d.  
l. ul. n. n. 3. Merc. 1. op. 14. Si v. res ipsa amissa vel deteriorata  
fuerit, ita ut non ulterius quantitas cum specie, sed cū quanti-  
tate sit compensanda, quando nim. cōmodatarius tenetur vel  
ad aestimationem rei, vel ad interesse, l. 3. §. 1. l. 18. §. 1. comm. tū  
utiq; compensationem opponi posse putamus. I. Quia exceptio  
confirmat reg. in casib. non exceptis, l. 12. §. 43. de inst. & instr.  
leg. l. 12. de jud. Reg. a. est in l. ul. pr. C. de comp. quod ex omnib⁹  
actionibus ipso jure, nulla adhibita differentia, cōpensatio fie-  
ri possit. Exceptio est in §. 1. in f. d. l. ul. in actione depositi, qua  
quomodo sit accipienda, sat clarē indicat ipse Justin in §. 30. I.  
de act. addita particula exclusiva, & solam depos. act. excipit.

II. Huc facit l. 4. § l. 21. ff. de compensat. ubi ex omni con-  
tractu, & inter omnes, compensatio admittitur. III. Bre-  
vitatē studio nos remittimus ad l. 18. § ult. commod. V. Don-  
d. l. Pac. 4. évav]. q. 44. Wegn. disp. 7. lit. d. Hillig. lib.  
16. c. 15. lit. x. An a. in his omnibus conveniat actio depositi  
& commodati, in ipso conflictu fortè visuri sumus. Interim  
videri potest Andr. Gerhard. decad. 13. th. 2.

#### QUÆSTIO VII.

An depositum consistat in rebus immobilibus?

Depositum non ineptè duas species dividi potest, Wes. in pa-  
rat. ff. depos. n. 6. Vult. 3. Jurisp. c. 37. n. 2. Oldend. clas.  
4. act. 23. Gædd. ad l. 110. de V. S. n. 1. quarum una est rei  
non litigiosa, altera verò litigiosa. Hæc in nomine generali nõ  
stat, sed transit in propriũ, vocaturq; sequestrium, l. 18. §. 1. l. 6.  
l. 7. l. 17. depos. l. 5. C. eod. l. 39. de acq. poss. Illa v. nomen generis  
sui retinet, quemadmodum adoptio, cognatio, servus, & alia:  
differt q; à priori multis modis, de quib. ap. Wes. d. l. Hübn. in  
disp. post. de diff. jur. th. 242. Cöl. par. 2. disp. 1. th. 19. lit. a. Qua-  
re ne Andabatarũ more pugnare videamur, distinctè ad qua-  
situm respondebimus. Affirm. igitur, si de illo queratur; possũt  
n. sequestrari tam res immobiles, quàm mobiles, l. 7. §. f. qui sa-  
tis d. cog. l. 16. in f. de off. præf. l. 5. C. quor. app. non rec. ubi agi-  
tur de fructib. ex rebus soli provenientib. qui sequuntur natu-  
rã sui principalis, & sunt immobiles, l. 6. §. 1. pr. & ibi Got. lit.  
d. C. de secund. nupt. & ad l. 2. C. in quib. caus. cessat long. temp.  
prescript. lit. p. sic etiã persona possunt sequestrari, liberi pro-  
pter exhibitionem, l. 3. §. 2. de lib. exhib. virgo & uxor. c. 14. ex.  
de spons. c. 8. c. 13. §. ult. ext. de rest. spol. & servi, l. 7. pr. dep. qui  
tamen in d. l. 6. §. 1. & in l. 3. de divers. & temp. præscr. annume-  
rantur reb. immobilib. sic dos dicitur sequestrari, l. 22. §. 8. ver.  
sin verò sol. mat. in qua tamen continentur etiam immobiles,  
arg. l. 15. & t. t. de fund. dotal. c. 1. ex. de sequest. poss. Vult. libr. 1.  
f. c. 33. in f. Trent. vol. 1. d. d. th. 8. lit. c. Hæn. dispu. 13. th. 11. Ne-  
gamus s̄



Gamus si de deposito in specie ita dicto quaestio fuerit, nãq; hoc  
 in reb. mobilib. dũtaxat consistere putamus, idq; constat. I. Per  
 l. i. depos. ubi depositum ex eo dictum asseritur, quod ponitur.  
 At quis dixerit rem immobilẽ poni? II. Id ulterius demõstrat  
 prepositio DE, quæ nihil aliud vult, quàm quod depositum fiat,  
 custodia diligentissima gratia, unde deponere, custodiẽdũ dare,  
 & commendare promiscuẽ usurpantur, l. 186. de R. I. l. 24. l. 26.  
 depos. l. 6. l. 9. C. eod. l. 186. de V. S. l. f. ad SC. Treb. l. 14. §. 3. de  
 relig. Treut. vol. 1. disp. 26. tb. 1. lit. b. ut eadem res resti-  
 titui queat, l. 1. §. 22. depos. At licet res immobiles etiam  
 dicantur custodiri, l. 10. de peric. & com. rei vend. id tamen  
 in alijs contractibus locum habere potest, ubi finis contractus  
 non est ipsa custodia rei, quemadmodum in deposito. Cũ igitur  
 custodia illa rerum immobilium parum proficiat contra vim,  
 ut inquit Neratius: nescio utrum accommodari huc commodẽ  
 possit. III. Accedit postremò, quod omnes textus in hac mate-  
 ria tantum de rebus mobilib. depositis, quæ furto auferri que-  
 ant, §. 3. I. quib. mod. re cont. obl. l. 3. §. 18. de acq. poss.  
 id quod de immobilibus asserere absurdũ fuerit, §. quod a. I.  
 de usucap. l. 25. de furt. l. 1. de distrib. pign. l. 38. de usuc.  
 A partibus nostris stant Cl. Dn. Arum. exercit. 12. tb. 14.  
 Förster. disp. 16. tb. 16. Schn. & Myns. add. §. 3. I. quib.  
 mod. re contr. oblig. Diss. Hænon. d. l. El. Rob. disp. 14.  
 tb. 10. & Gæd d. l.

#### QUÆSTIO VIII.

An sequester possideat?

Quaestio hujus utilitas maximè perspicitur in usucapi-  
 onis continuatione & interpellatione, & proptor apparentem  
 conflictum, qui est inter l. 17. §. 1. depos. & l. 39. de acquir.  
 poss. interpretes valdè torsit. Hinc alii distinguunt inter se-  
 questrationem necessariam & voluntariam, seu conventiona-  
 lem & judicialem, Curt. de sequestr. n. 7. Wes. in parat. ff.  
 depos. n. 6. Geil. i. observ. 5. n. 10. & obs. 149. n. 9. Go-  
 tthofr. add. l. 39. lit. g. Vult. 1. J. R. c. 33. & quoad illam  
 posses-

possessionem non transire putant, quò accommodant d. l. 39.  
quo ad hanc verò transire statuunt per d. l. 17. quàm benè,  
videatur apud Dn. Goedd. in tr. de sequest. poss. c. 1. n. 129.  
Alii simpliciter dicunt, sequestrem semper possidere, Cuj. in  
C. de acquir. poss. § 9. obs. c. 33. Alii deniq; ita in gra-  
tiam hasce leges reducunt, ut dicat, possessionem transire, nisi  
expresse id convenerit inter partes, Don. 5. com. c. 13. pag.  
(mibi) 197. a. Coras. 3. misc. 2. n. 12. Duar. 3. de benefic.  
Eccl. c. 10. Pac. cent. 4. évav. q. 80. Treutl. vol. 2. disp.  
21. th. 4. lit. f. Hackelm. illust. qq. disp. 9. th. 15. lit. a.  
Hub. Giph. ad d. l. 39. de acquir. poss. n. 5. § 6. Ampliſſ:  
Dn. Arum: disp. ff. 12. th. 9. Henig: Wegner: disp. 6. th.  
2. lit. b. in f. Quorum sententia, uti de jure omnium verissi-  
ma sequentibus rationibus stabiliri potest. I. Quia id expres-  
sè dicit d. l. 39. de acq: poss: II. Quia idè non difficulter et-  
jam ex l. 17. §. 1. depos: quæ nobis contraria videtur, demon-  
strari potest, si nim: verbū Deposita, referamus ad propinqui-  
vocabulary possessionis, non ad remotius Rei, cum Duar: d. lib:  
3. de sacr: Eccl: minist: ac benef: c. 10. § Don: d. l. ita ut  
ipsa possessio deposita sit à litigatorib. Diss: Giph: d. l. n. 7.  
Aliàs tamen conciliationes horum évavtio φανών fortè cōfliētq;  
nobis suggeret. III. Id vel inde clarius cuiq; constare poterit,  
quod requisita possessionis in sequestre deficiant. Debet n. pos-  
sessio fieri cum animo possidendi, l. 49. §. f. de acq: poss: l. 10.  
C. eod: Deinde ut quilibet suo nomine possideat necesse est, l.  
17. pr: de acq: poss: l. 10. §. f. de A. R. D. Atqui sequester  
non habet animum possidendi, licet aliquando hunc sibi de fa-  
cto sumere possit. Vid: Goedd: d. l. nec sibi possidet, l. 9. de  
acquir: poss: IV. Depositarius non possidet, sed deponens, d. l.  
17. §. 1. depos: Sequester a. est depositarius, l. 5. § l. 6. d. t.  
V. ubicunq; titulus ad transferendā possessionem non est ha-  
bitis (ut in sequest: arg: l. 1. § l. 6. depos:; ibi res potiq; tra-  
dita videtur custodia causa, quàm possessionis, l. 77. §. 21. de  
leg.

leg. 2. inter quæ duo non leve est discrimen, l. 3. §. fin. de acqui. poss. VI. Possessio est in bonis, l. 52. de A. R. D. l. 49. l. 115. de V. S. Et multum habet commodi, l. 24. de R. V. Quo nemo facile se ipse privare creditur in dubio, arg. l. 25. de prob. Reliqua huc pertinentia videri possunt apud Dd. sup. allegatos.

### QUÆSTIO IX.

An servitutes oppignorari possint?

Si q. nobis esset de servitute personali, usufructu videlicet, tum affirmativè simpliciter respondere possemus, per l. 11. §. 2. l. 15. pr. de pign. tum etiam quod in l. 9. §. f. constitutum est, omnia ea, quæ venditionem recipiunt, oppignorationem etiam recipere, id quod de usufructu, tam verum est, quàm quod verissimum, l. 12. §. 2. de usufr. Vid. Cl. Dn Arum. Ex. 5. th. 22. Pac. cen. 5. q. 25. Sed quãdo de servitutibus prædiorum agitur, major exoritur difficultas, sunt n. hic varia Dd. opiniões. Sunt n. qui indistinctè negent, sunt qui de servitutibus prædiorum rusticorum affirmant. Nos eorum castra sequemur, qui indistinctè servitutes reales oppignerari posse negant, idq. probamus de servitutibus urbanis. I. per l. 12. §. f. de pig. qui textus est perspicuus. II. Quia si servitus tigni immittendi esset oppignerata, tum sequeretur hoc absurdū, quod adificium deberet destrui, contra præscriptū l. 12. tab. l. 1. pr. de tig. junct. Solutio n. debito pignus liberatur, l. 1. pr. quib. mod. pig. solv. l. 6. §. 1. d. t. Et debitor per pignoratitiam repetit pignus, l. 40. §. f. de pig. act. III. Servitutes sine prædijs subsistere nequeunt, l. 1. §. 1. com. præd. §. ideò I. de servit præd. quemadmodum nec per usucaptionem sola acquiri, l. 10. §. 1. de usuc. vid. l. 86. de V. S. l. 36. de S. P. R. l. 12. com. præd. Quomodo igitur sine ijs oppignerari poterunt? IV. Omne pignus constitui potest ad certum tempus, id quod de servitutibus affirmari non potest, l. 4. pr. de servit. Quæ ead. ratio facit, quod locari nequeat, l. 44. locat. V. Illud pignus inutile est, quod creditori non licet vendere, arg. l. 4. de pig. act. l. 11. c. de distr. pign. At servitutes sine prædijs vendi nō possūt.

C

Namq.

Namq; hoc certum est, servitutē prædialē illam esse, quæ præ-  
dialē est utilis, l. 5. de S. P. R. l. 29. eod. t. Quare deficiente prædio,  
ipsa etiā servitus non potest vendi. Quæ rationes posteriores  
cum generales sint, ita ut ex æquo cōveniant, tã rusticis, quàm  
urbanis servitutib. nulla causa est, cur aliud in his, aliud v. in  
illis obtinere statuamus. Vid. Ampl. V. Dn. Arū. disp. ff. 14. th. 4.  
Gæd. disp. ff. 10. th. 8. in f. Duarē. lib. 2. disp. c. 13. Trent. vol. 1.  
disp. 17. th. 12. lit. b. & vol. 2. disput. 1. th. 5. lit. b. Pac. cen. 5. q. 26.  
Don. in tr. de pig. c. 10. Diss. A. Fab. 5. conj. 11. in f. Hot. in tr. de  
pig. & hyp. c. 3. & lib. 6. obs. 25. Cuj. lib. 15. obs. 6. Goth. ad l. 11. §. f.  
de pig. & alij aliter. **QUÆSTIO X.**

An mulier dotis nomine præferatur creditorib. tã  
priorib. quàm posteriorib. expressã vel tacitã hypoth. habentib.?

Magnus est mulierum favor, tum propter judicii infirmi-  
tatem, l. 4. C. de spons. tum etiam propter beneficiū, quod præ-  
stant Reip. l. 14. pr. C. de legit. her. & periculum quod sustinent  
in præcipiendis liberis, §. sed nos, I. de SC. Tert. l. ul. C. qui pot.  
in pig. Nov. 16. 2. in f. Hinc ipsis tributū est beneficium SC. Vell.  
t. t. ff. & C. de SC. Vell. & in quibusd. causis jus ignorare licet,  
l. 9. pr. de jur. & fact. ign. l. f. C. eo. sic ipsis in conservanda dote  
à leg. est prospectū, olim quidē privilegio, l. 17. §. f. de reb. auth.  
jud. poss. deinde tacita hypotheca, l. 30. de jur. dot. in reb. dotal.  
& postea etiam in reb. mariti, l. un. §. & ut plenius, C. de rei ux.  
act. ultimò etiam in eo, ut omnib. creditorib. præferretur, l. ul.  
C. qui pot. in pig. Ampl. D. Arū. d. disp. 14. th. 9. Quæ in re, utrū  
Imp. Justin. nimium sese exhibuerit uxorium, A. Fab. 8. conj.  
cap. 11. suffragari non possumus: nullo n. modo nobis fit verisi-  
mile, optimū Imperatorem, qui pudicitiam in foeminis dili-  
gentissimè custodiendam sanxit in l. 5. C. ad SC. Orphic. & in  
Nov. 6. c. 6. in f. & impudicam saltem inspectionem improba-  
vit, pr. I. quib. mod. tut. fin. l. ult. C. quand. tut. esse desin. Rei à  
se prohibita operam navare, aut in gratiam Veneris mulierib.  
aliquid præ reliquis concedere voluisse, in primis cum l. 9. de  
stat. hom.

stat. hom. § l. 1. pr. de Sen. nondū sint sublata. Sed ad q. pro-  
positam, in qua hoc tantummodò investigabimus, utrum præ-  
lationis illud privilegium, etiam sese extendat adversus illos,  
qui expressam habent hypothecam? Nos cum A. Fab. d. l. Dn.  
Arum. d. l. Myns. 1. obs. 61. § 4. obs. c. 13. Vaud. 1. q. 21. Fach.  
3. contr. 99. Dn. Harp. ad §. fuerat antea 29. I. de act. n. 7. §  
seqq. Vacon: à Vac: 6. declar: 29. n. 7. § 10. Robert: 3. a-  
nimadvers: 14. Hackel: ill: q. disp: 12. th 12. lit. c. Gœd:  
disp. ff. 10. th. 13. lit. d. § ibid. alleg. affirmabim9. I. Quia  
textus, in quibus hoc privilegium mulieri in dote conceditur,  
loquuntur generaliter § indistinctè, l. 12. C. qui pot. in pig.  
l. 30. C. de jur. dot. Nov. 97. c. 3. § seq. Nov. 109. c. 1.  
Quare si Imp. voluisset exceptam hypothecam expressam, vel  
unico in loco illam adposuisset, atq; ita nostrum non erit eam  
adponere, l. 8. de publ. in rem act. l. 1. § generaliter de leg.  
præst. II. Quia ratio privilegij huius, non tantum militat in  
tacita, sed etiam in expressa creditorum hypotheca. Est a. eā;  
frugalitas muliebris, § favor dotis, l. 2. de Jurejur. l. 1. sol.  
matr. III. Eleganter Scaevola in l. 14. §. 3. de divers. § tēp.  
præsc. Qui me potior est, cum ego te superaturus sim, multò  
magis adversus te obtinere debet. Jam v. mulier superat su-  
perantem, non quia præfertur ijs, qui in edificij refectionem  
crediderant, Nov. 97. §. c. 3. §. his consequens, qui tamen  
præponuntur etiam expressam habentib. l. 8. qui pot. in pig.  
Quid ni ergò mulier? IV. Quia illis saltē non præfertur, qui  
potiora jura legibus habere noscuntur, l. 29. C. de jur. dot. At  
quinnā illi sint, patet ex l. 2. C. de priv. fisc. § Nov. 97. c. 4. nē-  
pe fiscus, § illi, qui ad emptionem militiae marito pecuniā sub  
chirographo crediderunt. Quare donec nobis expressa istius-  
modi exceptio ab adversarijs mostretur in expressa hypothe-  
ca, stabimus regula generali. Diss. Don. in tr. de pign. c. 14. p.  
(mibi) 106. § ad l. ul. C. qui pot. in pig. n. 4. § seqq. Geil. 2. obs.  
25. n. 10. El. Rob. disp. 14. coron. 1. Sed hac exercitij gratia hac  
vice protulisse sufficiat. Meo



Meo Dn. JOH. HIERONYMO Im Hoff etc. Resp.  
Sunt, ingrata sacri quibus est modò nausea JURIS,  
Queisquè sapore solet gratior esse sopor.  
Grata TIBI leges sunt condimenta laborum,  
JANE, nec his ullum gratius esset onus.  
Hinc te conjungis docto cum milite castris,  
In quibus Astrææ certat amica cohors.  
HOC AGE: sic Patriæ Patribus, claroque Parenti,  
Et consanguineis displicuisse nequis.  
Quin potius quondam Respublica dia NERONIS,  
Mandabit curæ commoda magna tuæ.  
Hoc voveo, votis certissima pondera rerum  
Conditor, in studio tu modò perge, dabit.  
*Johannes Schröterus, Osterburgo-Marchicus,*

NON ut pandiculans glis latitas in penitralibus,  
NO Sol Nobilium, Coricidum Sal HIERONYME,  
Sed prodis vigilans, atque recessus Themidos petis  
*Schrötero* (his oculis què magè amo, què Charis & Dice  
Oblervât) præcunte. O benè! Perge hos terere ambitus!  
Phœbus diribitor te locet in primitium locum;  
Astræa endoplicet (quùm cupies) cocineâ caput  
Dein mitrâ; atque togâ te *Neroberga* ornet avitâ ovâs;  
Patres inter honores, veluti gemma, refulgeas:  
Hæc non vanus haruspex temerò carmine prædico,  
Quæ mi pollicentur studia, atque aureoli tui  
Mores. Hoc animo maecte igitur! nec monitu est opus.  
Currit quadrupedans sponte suâ ceu generosior  
Ad palmas, ita virtute tuâ, ardoribus entheis  
Ad metam ipse anhelas, Jovis alti auspiciò. Lubens  
Ausis grator, & opto, excipiat prosperitas ea!


*Christophorus Hæstichius, Norimbergensis,*

AB: 154464

(X2678616)

R

V317







6

DECAS  
C O N T R O .

VERSIARUM,

EX TIT. INST. DE OBLIG.

& quib. mod. re contr. obilg.

depromptarum,

QUAM

D. O. M. A.

PERMISSU

NOBILISSIMÆ AC AMPLISSIMÆ

FAC. JURID. IN ALMA SALANA,

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS SCHRÖTERI, O-

STERBURGO-MARCHICI,

defendere conabitur

JOHANNES HIERONYMUS

Im Hoff Norimbergensis,

ad diem XVI. April. horis & loco consuetis,

J E N Æ

Typis descriebat Johannes VVeidnerus,

A. O. R. M. DC. XIV.

